BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
68
3 B
8
M

Google

61.3.B.8

I

HENRICI BORNII
L. A. M. & Philoſophiæ Profeſſoris

ORATIO
INAUGURALIS
DE
Vera Philoſophandi Libertate,

DICTA

In Splendidiſſimo & Frequentiſſimo Auditorio
Lugduni Batavorum,


Die II *Novembris Anni* CIƆ IƆC LIII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

I. ad THESS. V. 21.

Πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε.

Bibliotecae S. Pantaleonis Scholarum Piarum



LVGD. BATAVOR.
Ex Officinâ JOHANNIS & DANIELIS
ELSEVIER. Academ. Typograph.
CIƆ IƆC LIV.

Ex libris Jo: Alphonsi Borelli

Nobiliſſimis, Ampliſſimiſque Viris,

D. AMELIO BOUCHORSTIO, Domino de Wimmenum, Ordinis Equeſtris Aſſeſſori, Rhenolandiæ Præpoſito & Aggerum Præfecto, Potentiſſimorum Hollandiæ Ordinum Deputato,

D. GERARDO SCHAEP, J. U. Doctori, Splendidiſſimæ Reipublicæ Amſtelodamenſis Exconſuli & Senatori, ac ad Sereniſſimos Daniæ & Sueciæ Reges Exlegato,

D. CORNELIO a BEVEREN, Equiti, Strevelshoeckiæ, Weſt-Iſſelmondæ & Develſteinii Domino, Antiquiſſimæ Dordreghtanæ Reipublicæ Exconſuli, & Senatori, ad Sereniſſimos Britanniæ & Daniæ Reges Exlegato,

UT ET

Ampliſſimis, Spectatiſſimiſque Florentiſſimæ Reipub. Lugdunenſis Coſſ.

D. PAVLO à SWANENBURGH, J. C.
D. NICOLAO vander MEER,
D. JOHANNI vander MAERSCHE,
D. PETRO a WARMONT,

Academiæ Lugdunenſis Curatoribus.

NEC NON

Ampliſſimo Conſultiſſimoque Viro,

D. JOHANNI a WEVELINCHOVEN, J. C. Reipub. Lugdunenſis Syndico, Nobiliſſimis Ampliſſimiſque Curatoribus a Secretis,

Dominis Gratioſis hanc Orationem Inauguralem

L. M. Q. D. D.

HENRICUS BORNIUS.

II

Nobiliſsimi, Ampliſsimi, Spectatiſsimi Domini,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Quam honorifica Veſtra præſentia dignari voluiſtis Orationem, ea nunc typis in exemplaria tranſcripta, Veſtriſque decorata Nominibus, ſe vobis legendam offert, non ſui, non authoris, ſed argumenti fiducia, pro Libertate quippe ſcripta & habita, quæ ad veram Sapientiam contendentibus ſola jure optimo meretur dici via. Ad iſta autem muneris mihi à Vobis demandati in lucem emittenda Auſpicia animum meum appuli, non tantum, ut quotidianis efflagitãtium amicorum precibus, atq; in rebus omnibus dominanti conſuetudini morem gererem, verum etiam, & quidem potiſſimum, quo Vobis Aca-

demiæ Proceribus, cæteriſque, quorum intereſt, eo melius de mea veritatis indagandæ pariter atque propagandæ conſtaret ratione ac methodo, quas ego hic candide & ſyncere ex animi mei ſententia delineo aſſeroque. Exiguum *quidem hoc eſt, fateor, debitæ meæ erga Vos obſervantiæ reverentiæque monumentum, exiliuſque donarium, quam ut ad Veſtræ benevolentiæ aram mereatur appendi, haud exigua tamen mihi ſpes eſt, illud eadem, qua ſupra ipſa vota mihi dicenti aſpiraſtis, benignitate a vobis iri exceptum, quo mihi addatis animum aliquid proferendi, cui meliori jure Ampliſſima Splendidiſſimaque Veſtra inſcribantur* Nomina. *Valete* Nobiliſſimi, *Ampliſſimi Spectatiſſimique* Domini, *& incolumes diu florenteſque* Remque *publicam privatamque, quod hactenus immortali cum* Nominis *Veſtri gloria facitis, bene atque feliciter gerite.* Dabam Lugd. Bat. vi. Idus Feb. cIↃ. IↃc. liv.

Rector Magnifice, Nobiliſsimi & Ampliſsimi Inclytæ hujus Academiæ Curatores, Honoratiſſimi Spectatiſſimique Lugdunenſis Reipub. Proceres, Profeſſores Celeberrimi, Collegæ Venerandi, Eccleſiaſtæ Reverendi, Doctores Clariſsimi, Viri quotquot adeſtis Nobiles, Honorati, Tuque Generoſa Lectiſſimaque Studioſæ Iuventutis Corona.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QVod Romanæ Sapientiæ pariter atque Eloquentiæ princeps Marcus Tullius de triumphati olim Orbis capite Roma ſe ab adoleſcentia judicaſſe ſcribit, tantam nempe urbis illius eſſe lucem, ut cujus induſtria ibi poſſet eſſe illuſtris, ejus extra illam obſcura ſordidaque omnis eſſet habitatio: idem ego, non cæco inſtinctus amore, non ſervili impulſus adblandiendi lubidine, ſed ipſa utique rei veritate inductus jure optimo de hac Florentiſſima omnium

bonarum artium Æde prædicare poſſe jam dudum quoque mihi videor; atque omni ſepoſito invidiæ metu cum omnibus rem mecum ex vero reputantibus affirmare, alibi, ſi non ubique, ſaltem in hoc noſtro Belgio, obſcure habitare virum literatum atque publice excolendis communium literarum ac bonæ mentis ſtudiis deditum, cujus eruditio ac induſtrii labores poſſint eſſe conſpicui in hoc Muſarum Gratiarumque Sereniſſimo Templo. Quod inter ipſas tubas, galeas & enſes, inter hoſtilium armorum impetus ac cruentiſſimos conflictus, inter cariſſimæ Patriæ, purioris ſupremi Numinis cultus, avitæque libertatis ingentia diſcrimina a Potentiſſimis Bataviæ Patribus incredibili cum animi magnitudine excitatum, atque huic Fortiſſimæ ac ſupra omnem fidem malis cedere neſciæ Civitati, propter tot aſpera & nefanda infracta ac prorſus inconcuſſa virtute in perdifficili illa obſidione pro communi cauſa exantlata, in meritiſſimi præmii ſolutionē conceſſum, tanta (Glorioſiſſimis Patrum Cœptis divina aſpirante gratia) ſumpſit incrementa, atque indefeſſo labore raraq; induſtria ſummorum in omni doctrinæ genere virorum ad tantum evectum fuit famæ gloriæque culmen, ut non ſolum inter cæteras Belgii Academias caput extulerit, ac eas ceu ſtellas inſtar ætherei Solis fulgore ſuo

præ-

præſtrinxerit, ſed & alias fere omnes ita ſuperaverit, ut vix ullam alibi reperias, quæ, ſi omnia recte exiſtimes, cum hoc Beatiſſimo divinæ humanæque Sapientiæ Domicilio in certamen venire ac de præſtantia contendere valeat. Auguſti hujus Theatri ſplendor & celebritas, & nunquam, donec hac aura fruar ætherea, meus erga illud, Almam utpote ſtudiorum meorum Matrem, intermoriturus affectus, tantum apud me pondus habuere, ut nec Celſiſſimorum Arauſionenſium Principum eximia æterniſque laudibus prædicanda erga literati ordinis viros munificentia & favor, nec amœniſſima Bredana Tempe, nec ſuaves, quæ mihi feliciter ibi obtigere, amicitiarum caritates, nec aliæ denique, quæ apud mei ordinis & loci homines haud contemnendæ videntur rationes, mihi manum injicere potuerint, quominus Nobiliſſimorum Ampliſſimorumque Inclytæ hujus Academiæ Curatorum, ac Honoratiſſimorum Spectatiſſimorumque Lugdunenſis Reipublicæ Conſulum benevolæ honorificæque invitationi morem gererem, ac veteri relicta dulciſſima ſede huc commigrarem. Non quod adeo mei fuerim oblitus tantaque me meæ tenuitatis ceperint oblivia, ut mihi promittere auſus fuerim in hoc tot excellentiſſimorum hominum ſplendore meam ſive eruditionem, ſive in-

duſtriam, quam utramque profectò ſentio in me perexiguam, poſſe eſſe illuſtrem, ſed ut aliorum mihi virtute ſua prælucentium exemplo incitatus ſimul atque adjutus, eo intentioribus animi viribus ultimam quamque lucem, tanquam non redituram, promovendis pro virili mea parte Sapientiæ ſtudiis inſumerem. Pro veteri itaque hic & ubique fere recepta ac in legem jam pridem abeunte conſuetudine muneris mihi demandati ab Auſpicali Præloquio initium capturus, ſeria ac ſæpius repetita deliberatione mecum agitavi, quamnam potiſſimum illi materiam deligerem: tanta enim eſt Philoſophiæ amplitudo, tam incredibilis in uberrimo ejus penu rerum præſtantiſſimarum multitudo, quæ cum fructu & delectatione Auditorum conſentaneæ ſunt, ut ipſa copia dubiam ancipitemque deligendi mihi fecerit curam. Ipſa ſubinde Diva noſtra ſancto & venerabili ſuo vultu ſeſe mihi offerens exigere videbatur, ut in hoc ad dicendum Ampliſſimo Conſeſſu, quo plurimorum animi ad ſui cultum ardentiori ſtudio inflammarentur, accuratiori penicillo ac ſplendidioribus coloribus, quam quidem olim facere potui, laudes ſuas iterum depingere aggrederer. Sed cum nullus unquam tam pollenti fuerit pectore, tantoque literarum flumine inundatus, ut licet effuſis totius

ſuæ

ſuæ eloquentiæ fontibus, eas pro rerum majeſtate exprimere voluerit; quæ enim tanta exiſtere poteſt ingenii ubertas, quæ tanta dicendi copia, quod tam divinum atque incredibile orationis genus, quo quiſquam poſſit univerſas Philoſophiæ laudes, non dicam complecti orando, ſed percenſere numerando? ego ne, culpa ingenii eas deterendo, ſub tam ingenti onere iterato labar, hoc graviſſimo, quibus datum ore rotundiore loqui, relicto argumento aliud impræſentiarum mihi ſumendum cenſui. Atque omnibus quidem conſideratc perpenſis, nullum neque huic Celeberrimo Loco, neque iis, quibus vivimus, temporibus, neque tandem mihimet ipſi convenientius accommodatiuſque, in quo mea verſetur oratio, argumentum reperire potui, quam ſi de VERA PHILOSOPHANDI LIBERTATE verba faciam: tanta enim ejus eſt utilitas, tanta neceſſitas, ut omnibus veritatis indagatoribus, qua ad ſolidam eant Sapientiam, hæc unice una ſit via. In qua delineanda aſſerendaque ſpretis ac repudiatis omnibus verborum lenociniis, quorum blandiori fucatoque ſono aures belle tangi animiſque inſidiæ ſtrui conſuevere, illaborato ac tralaticio me uti ſermonis genere, ii ſaltem omnes ſuo probabunt calculo, qui mecum fuere experti, blandam illam conciliatricem & quaſi ſui

 lenam

lenam Naturam non pati abſconditorum ſuorum venatores, quos rerum magnitudini addictos eſſe voluit, rei puſillæ, verbis aſſidere. Illud modo, antequam ulterius progrediar, Auditores omnium Ordinum Splendidiſſimi, vos omnes & ſingulos, qui præſentia veſtra hunc mei Auſpicii Actum condecorare voluiſtis, etiam atque etiam rogatos velim, ut, quod vel ipſa delecti argumenti pro me flagitat dignitas, me breviter diſſerentem animis linguiſque faventes audire dignemini.

Vera igitur illa nobis habetur Philoſophandi Libertas, qua Sapientiæ cultor, veritatiſque indagator, ita nullis certi autoris, vel diſciplinæ eſt conſecratus legibus vinculiſve impeditus, quibus teneatur aſtrictus ad certa quædam, velit nolit, defendenda, ut ſoli rationi tanquam unicæ certiſſimæque veritatis regulæ ſemper & ubique obſequens integram & mortalium nulli obnoxiam ſibi conſervet poteſtatem, omnia humani ingenii placita, omnia dogmata ad ſanctas atque immotas almæ Naturę leges, aut potius ipſius rerum omnium conſtitutoris ac rectoris Dei, qui eas in ipſa fixit, perpendendi atque dijudicandi. Et ab hac omnia hoc pacto exiſtimandi, approbandi aut etiam rejiciendi Libertate, non ætatis, non autorum, aut ulla alia illum deterrent diſcrimina: quamvis enim ea, qua

decet,

decet, reverentia Antiquitatem veneretur atque ſuſpiciat, placitaque per multa ſecula plurimorum conſenſu comprobata ingentem apud ipſum authoritatem habeant, nullis tamen ex iis ſecure ac ſimpliciter acquieſcit, niſi quæ prævio inſtituto examine, evidenti ac diſtincta animi perceptione cum Naturæ legibus convenire, ac ex iis recte inſtituta ratiocinatione deduci poſſe comprehendit. Quandoquidem enim compertum ſibi habet Philoſophus temporis ſæpe eandem, quæ fluviorum, eſſe rationem, ut inania ventoſaque ad nos deferat, gravia ſolidaque demergat, tam imbecilla ac fallaci ratione compedes ſibi injici non patitur, ut ſolo inveterato conſenſu motus temporis multitudiniſque judicio cæca ſeſe devotione mancipare velit. Quod ſi tanta eſt Philoſophi erga ipſam venerandam Antiquitatem Libertas, non minori profecto recentiorum dogmata illum excipere decet, ne, quod & olim & hodie pluribus uſu venire conſuevit, nimio novitatis pruritu captus faſtidiris, quæ ſapienter optimeque à veteribus conſtituta fuere, nova omnia ſibi amplectenda ducat. Ab altera quoque parte id ipſi ſummopere operam dandum, ne ſolo novitatis nomine ita exterreatur, ut præclara recentiorum reperta, priuſquam intellecta ſint, relinquantur contempta; ſed ut acri potius liberaque

raque mente & hæc omnia ad exactum rationis judicium perpendat, quo, ſi quæ fideli ſtudio detecta ac Naturæ veritati congruentia videat, æquo gratoque animo ad promovendos, nimium ſane ſemper anguſtos, ſcientiarum limites amplexetur. Quantacunque præterea fuerit hujus vel illius, ſive ſectæ, ſive hominis, cum inter veteres, tum inter recentiores celebritas & præcellentia, nulli tamen uni ſeſe ita addicit, ut rejectis cæteris in verba alicujus jurare, ac mancipii inſtar ejus nomen ferre ſuſtineat: verum contra omni ſacramento ſolutus, ac ſolo veri amore, non diſciplina vel authoritate Philoſophi affectans nomen, omnem in diverſum euntem Sapientum turbam diligenter explorat, atque veritatem per ſingulos diffuſam per ſectaſque diſparſam, ſive eam in Lyceo, ſive in Academia, ſive in Porticu, ſive in Epicuri Hortulis, aut denique alibi inveniat, ab omni præjudicio liberam undique libandi, atque in corpus unum colligendi, ſibi permittit poteſtatem. Nec in iis tantum cenſendis ac addiſcendis, quæ aliorum induſtrius nobis peperit labor, ſubſiſtit atque immoratur liber ſoliſque univerſi finibus circumſcriptus Sapientis animus, ulterius progreditur, & latitantium nullique hactenus obſervatarum in Naturæ ſacrario veritatum amore devictus,

——*Mente*

——— ——— ——— *Mente vigenti*
Avia Pieridum peragrat loca, nullius ante
Trita ſolo, juvat integros accedere fontes
Atque haurire, juvatque novos decerpere flores,
Inſignemque ſuo capiti petere inde coronam,
Unde prius nulli velarunt tempora Muſæ.

Atque hæc eſt, Auditores, rudi penicillo breviter ita Vobis delineata Vera Philoſophandi Libertas, quam omnes Naturæ venatores, omnes veri cognoſcendi cupidos, excuſſo humanæ ſervitutis turpi jugo, ipſa primum omnium dux vitæ Sapientia ampleċti jubet præcipitque: quod nullus Veſtrum inficias ibit, qui in ipſam mentis mecum intendere aciem, atque ejus veram ideam animo attente contemplari, voluerit. Nullus etenim vere Sciens, vel Sapiens, dici poteſt, qui negata ſibi ipſam Naturam, arcanorum ſuorum fidiſſimam interpretem atque magiſtram, libera conſulendi poteſtate, non propria experientia ex multiplici memoria, frequenti ſenſuum miniſterio atque obſervatione diligenti comparata, res ita ſeſe habere penitus intellexerit: ſine illa enim alienis tantum videmus oculis, alienis audimus auribus, opinamur tantum, aut credimus, taliſque ſcientia, non noſtra, ſed aliorum, dicenda venit. Sapientia delegationem non recipit, in rem præſentem illa nos venire, ac in ipſius

Naturæ penetralia, & latentium rerum dignitates & pondera, penetrare jubet. Neque huic labori, Naturæque rerum peragrationi, ulla, aut ingenii, aut lectionis, aut meditationis, ſubſtitutio, aut compenſatio, ſufficere poteſt: quod adeo verum eſt, ut, quamvis aliquis inter homines reperirietur, qui inuſitata ingenii præſtantia, incredibili memoriæ fidelitate ac pertinaci ſtudio, aſſecutus eſſet, quicquid unquam a primis Sapientiæ cultoribus, quicquid apud Indos a Gymnoſophiſtis, Braghmanis & Samaneis, quicquid a Chaldæis, quicquid a Perſarum Magis, ab Ægyptiorum Sacerdotibus, a Gallorum Druidis & Semnotheis, quicquid à Græcorum Latinorumque Philoſophis, quicquid denique ab omnibus iis, qui ad hanc noſtram uſque ætatem cum gloria in veritatis indagine occupati fuere, cognitum fuit, hic tamen tot ac tanta animo complectens ſuo Sapientis titulo, ſi calculum recte ponimus, inſigniri non poſſet, niſi ipſos adiiſſet ſanctos atque auguſtos Naturæ fontes, hæcque ex iis fideliter eſſe deprompta ſuis ipſe obſervaſſet oculis. Sapientia veritatis cognitio eſt, veritas autem intellectus noſtri numeris omnibus abſolutus eſt conſenſus, non cum hominum commentis & opinionibus, ſed cum ipſis rebus, ut ipſe nos docet magnus ille Sciendi Sapiendique Magiſter Ariſtoteles.

teles. Atque hic conſenſus tum demum exiſtit, cum res ipſæ, ſive ſimplices, ſive compoſitæ, ſive cœleſtes & æternæ, ſive caducæ & mortales, fuere, eo modo ab intellectu noſtro comprehenduntur, quo ſecundùm ſuam ſe habent naturam. Quare inepta prorſus & erronea eſt iſta, & olim & hodie, pluribus uſitata veritatis indagandæ methodus, dum ſedulo inquirunt, non, quid res ſit, ſed, quid ab aliis dicatur, atque ita dedititii facti, & tanquam pedarii ſenatores in aliorum euntes ſententiam, relicta ipſarum rerum ampliſſima pulcherrimaque contemplatione, ipſoque Naturæ facillimo codice, ac jucundiſſimo autographo, ex ſolis aliorum commentariis ſapiunt, quos quidem propterea recte memoriæ doctores, ac alienarum opinionum indices appellare licet, ſed, ut honorificum illis tribuatur Philoſophi cognomentum, qui nunquam philoſophantur, ab omni ſane ratione alienum judico. Verum non tantum ad hanc Libertatem nos impellere debet veræ ac genuinæ Sapientiæ amor, ſed & naturæ noſtræ cum aliis par dignitas ſimiliſque conditio nobis illam quoque injungit. Tam abjecto equidem ac noſtri neſcio haudquaquam nos oportet eſſe animo, ut, nobis diffiſi, credamus, Natura nos magis noverca, quam alios, in lucem eſſe editos. Omnes homines ſumus, omnes ab uno

eodemque rerum omnium opifice ad Sapientiam geniti & fabricati: qui, ſicuti omnibus ex æquo animum Sciendi pariter avidum atque capacem, ſenſuſque inſtar ſatellitum ac nunciorum conceſſit, ita etiam omnibus promiſcue patere voluit pulcherrimum hoc atque admirabile Naturæ theatrum, ut quilibet propria contemplatione illud ſedulo perluſtrans, non ſolis hominibus doctoribus, ſed & ipſa Natura magiſtra, rerum in ipſo comprehenſarum ſibi acquireret cognitionem. Quid igitur vilius & abjectius, aut quæ major animi cæcitas & inertia, aut quid magis a Philoſophiæ gravitate & dignitate remotum & alienum eſſe poteſt, quam Sapientiæ Amatorem, quem ipſe ille ter optimus maximuſque mundi fabricator Deus, ad rerum omnium univerſitatem animo contemplandam, ſolutum ac liberum eſſe voluit, cujuſque doctrina ex ratione ortum, incrementa, robur omnemque vim ſuam atque dignitatem habet, nihil per ſe Sapere, nihil judicare, totum ex alieno ſenſu judicioque pendere, atque omni denique ratione poſthabita aliorũ decreta pertinaciter defendere, &, quaſi tempeſtate quadam ad ea, tanquam ad ſaxum, delatum, ad ea adhæreſcendo, hominum ſibi ſimilium vile mancipium, &, ut nobilis ille ait Poëta, ſervum pecus effici? Fuit hæc quondam, fuit hæc, Auditores,

res, Pythagoræorum ſervitus ac fœda ſuperſtitio, quibus omnium rationum inſtar præceptoris erat authoritas, atque, ut quidvis facile prompteque pro vero certoque admitterent, ſatis iis erat, id a Pythagora fuiſſe profectum, grande ducentes nefas, cur illud ita eſſet, velle requirere.

O miſeras hominum mentes, o pectora cæca!

Quaſi vero non oporteat in ea re maxime, in qua vitæ ratio verſatur, ſibi quemque confidere, ſuoque judicio & propriis ſenſibus Naturam de Natura conſulere, atque ita ad inveſtigandam & perpendendam veritatem niti, ne pecorum ritu turba veſtigiorum, non per ſe viam bonam ac malam æſtimans, ſequatur antecedentium gregem, pergens, non qua eundum, ſed qua itur. Generoſior ſane, & tanto Porticus Alumno digna vox eſt: Qui „ ante nos iſta noverunt, non domini noſtri, ſed du- „ ces fuere: multum magnorum virorum judicio tri- „ buo, aliquid & meo vindico. Neque quia nos illi „ ætate anteeunt, Sapientia quoque nos anteeunt, quæ, ſi omnibus æqualiter patet atque datur, ab antecedentibus occupari non poteſt: illibabilis eſt tanquam lux & claritas Solis, quia, ut Sol oculorum, ita Sapientia, lumen eſt cordis humani. Quocirca haud probanda nobis videtur iſta quorundam ſimilitudo, quam tanquam ingenioſiſſi-

mam atque aptiſſimam multi extollunt, nos cum prioribus collatos eſſe, ut nanos, in humeris gigantum. Non eſt ita, neque nos ſumus nani, nec illi homines gigantes, ſed omnes, ut modo dicebamus, ejuſdem ſtaturæ, & quidem nos altius evecti illorum beneficio. Maneat modo in nobis, quod in illis, ſtudium, attentio animi, amor veri & vigilantia, quæ, ſi abſint, jam non nani ſumus, nec in gigantum humeris ſedemus, ſed homines juſtæ magnitudinis humi proſtrati. Non, quin plurima maximaque illorum ſolertiæ debeamus, ſed & nos non parum poſſemus minoribus noſtris præſtare, ſi anniteremur, aut plus etiam, quam illi, adjuti præclariſſimis illorum inventis, adhibito noſtro judicio. Neque enim ubertate prioris ævi effœta jam eſt, vel exhauſta, Natura, ut nihil prioribus annis ſimile pariat, eadem eſt, ſemper ſui ſimilis, ac priſtina benignitate vivida, atq; omni ambroſia ſuaviora, quotidie præbet alumnis alimenta: quin imo non raro tanquam collectis viribus pollentior atq; valentior exiſtit, qualem eam nunc credi par eſt, robore adjutam & confirmatam, quod ſenſim per tot ſecula accrevit. Nulla ætas hac noſtra ſorte naſcendi felicior fuit, cui non tantum tot præceptoribus, tot exemplis, præluxit veneranda Antiquitas, ſed & recentiorum præclara reperta viam aditumque fecere,

re, ad quæ nunquam veterum notitia pervenire potuit. Nobis jam datum æthereas felicius tentare domos, ac ſolem, lunam cæteraque, cum labentia, tum fixa, cœli ſigna propius oculis admovere, atque horum omnium naturam, vultus, magnitudinem, numerum, mutationes, curſus atque recurſus, accuratius rimari, poſtquam non ita pridem inventi teleſcopii beneficio oculorum mentiſque noſtræ acies promota fuit ultra limites, quibus veterum cohibebatur imaginatio. Nobis in minimis corpuſculis & animalculis nudis ſenſibus imperſcrutabilem naturæ ſubtilitatem atque ſolertiam engyſcopii ope contemplandi, ac vel in ipſis cõtritiſſimi pulveris minutiis ipſoq; acaro incredibilẽ partium varietatem, formaturam, poſiturã & uſum detegendi eſt conceſſa poteſtas. Nobis præſtantiſſima illa nauticæ acus, ante quadringentos & quinquaginta circiter annos, inventio totum terrarum orbem patere fecit, ex quo multò jam peritius inſtitutis navigationibus noſtris nullus ferme eſt inacceſſus mundi locus, nullæ inſulæ, nulla freta, nulla promontoria, pleraque veteribus fere incognita, totam terram circumnavigamus, & non ſolum locorum cultum habitumque, ac diverſarum nationum mores & inſtituta addiſcimus, ſed & quibus animalibus quælibet regio gaudeat, quas plantas,

quæ

quæ mineralia, producat, cognoſcendi nobis datur facultas. Quæ tam ingentia, ut jam alia, quæ enumerare poſſem, ſilentio præteream, priſci ævi Philoſophis negata, ac ſupremi numinis beneplacito poſterioribus ſeculis, ac patrum noſtræque ætati reſervata privilegia, an non inexcuſabilis omnino ſocordiæ atque inertiæ nos accuſant pariter & condemnant, quod tam anxie premamus veterum veſtigia, ut iniqua noſtri damnatione ſtupidaque deſperatione, quaſi illorum inventa induſtriæ noſtræ viam præcluſerint, ne latum quidem unguem inde deflectentes, per nos ipſi Sapere, ac ſcientiarum pomœria fineſque extendere non audeamus? Quod ſi Democrito, Hippocrati, Platoni, Ariſtoteli, Galeno, Plinio aliiſque ſummis Naturæ interpretibus, iterum liceret rebus humanis intereſſe, atque hiſce aliiſque inventis, quibus, perfractis ulterius arctis portarum Naturæ clauſtris, aditus ad interiora ejus adeo benigne nobis panditur, hodie frui, dubium non eſt, quin iſtos, quos juvat in unius ſectæ, aut hominis, ergaſtulis ita miſere conſeneſcere, tanquam inertia ſervitia, ac degeneres ſeque indignos diſcipulos, procul a ſe repellerent. Hæc ipſa porro ignavia, atque hoc alios ita ſuperſtitioſe & ſerviliter imitandi ſtudium adhuc tolerabile eſſet, ſi ad eum perfectionis apicem priorum ingeniis & diligentia

gentia

gentia Sapientiæ ſtudia perveniſſent, ut, veluti defixis ad ea columnis Herculeis, poſterorum induſtria non ultra progredi, nec ulla ad ea fieri poſſet acceſſio, taliſque aliquis inter homines inventus fuiſſet, vel inveniretur, qui unus omnia haberet optima, Deo ſimillimus & proximus, ac potius Deus ipſe: is ſane eſſet imitandus, hujus veſtigiis nobis omnibus inſiſtendum. Sed quis ille tam feliciter, imo tam divine Sapiens,

Omnia veridico qui quondam ex ore profudit?

Non fuit, non erit. Magna nimis res eſt Philoſophia, ut ulli ſe totam indulgeat, felix, qui in aliquam ejus penitus recipitur partem: Philoſophia enim nobis concipienda animo eſt, non qualis aliquando in Sapientiſſimo fuerit homine, ſed qualem eſſe oportet, ſicut Oratorem ſuum Cicero & Quintilianus, Principem Xenephon, Rempublicam ſuam effinxit Plato, ut non in alicujus hominis intueamur Philoſophiam, ſed in ſpeciem perfectæ Philoſophiæ, quam idem Plato ideam vocare ſolet: hæc in nullo hactenus mortalium fuit, neque in ullo unquam poſthac reperietur, non, ſi univerſum genus humanum Sapientiæ ſtudiis dederit operam, non, ſi omnia omnium ætatum ingenia coierint, labores contulerint, & totus terrarum orbis nihil aliud fuerit, quam Academiæ, Collegia & Scholæ

doctorum virorum. Semper vera erit laudatiſſima „ illa Theophraſti ſententia, quæ cuncti ſciant, mi- „ nimam eſſe eorum, quæ ignorant, portionem. Semper illud Senecæ omnibus retro ſeculis locum habuit, etiamnum habet, & habebit donec hæc re- „ rum ſtabit univerſitas: Rerum Natura ſacra ſua non „ ſimul tradit. Initiatos nos credimus, in veſtibulo „ ejus hæremus: illa arcana non promiſcue, nec om- „ nibus patent, reducta & in interiore ſacrario clauſa „ ſunt, ex quibus aliud hæc ætas, aliud, quæ poſt nos „ ſubibit, aſpiciet. Quippe placuit ſupremo rerum omnium moderatori Deo, ingeniorum dona ſpargere in ætates atque in homines, neq; ditiſſimæ Naturæ theſauros ſimul & ſemel aperire. Septem tantum Planetæ veteribus cogniti, noſtro autem ſeculo quatuor circa Jovem, & duæ circa Saturnum errantes ſtellæ, nunquam a rerum conditu, quantum ſcimus, conſpectæ, aut creditæ, detectæ fuere. Venerem, Lunæ veluti æmulam, falcatam prodire, veteres prorſus latuit. Ipſum ætherei Solis ſplendidiſſimum jubar nebuloſis, qua nobis viſitur, maculis, eiſque totam Africam & Aſiam magnitudine ſuperantibus, offuſcari, teleſcopii beneficio adjuti nuper didicimus: quem tamen defœcatiſſimum ac immaculatiſſimum lucis receptaculum, veteres, & una cum illis ipſi Patres noſtri, ſecure crediderunt.

Admi-

Admiranda & omnem prope fidem ſupergredientia in inæquali Lunæ corpore recentiorum nuper obſervavit induſtria, ac certo tandem perſpexit, Galaxiam nihil aliud, quam diſtinctarum ſtellularum eſſe congeriem, qua de re obſcura tantum apud veteres ſuſpicio fuit. Quot præterea in cæteris Scientiis & Artibus poſteriorum labore illuſtria nobis parta inventa! Quis veterum non ſummopere admiratus fuiſſet incomparabilem acus nauticæ in navigationibus utilitatem, pulveris pyrii, ac tormentorum bellicorum, ſtupendas vires, tonitrua & fulmina, Artis imprimendi ad Scientiarum Artiumque propagationem atque incrementa miram commoditatem? cum tribus hiſce tota rerum humanarum facies & ſtatus ita immutatus fuerit, ut non Imperium aliquod, non Secta, non Conſtellatio majorem efficaciam & quaſi influxum ſuper res humanas exercuiſſe videatur, quam iſta mechanica exercuerunt. Sed quid hæc aliaque, quæ in medium afferre poſſem, leviora loquor? novus integer proavorum memoria nobis eſt repertus mundus: quanta in illo rerum mirabilium anteactis ætatibus cæteris mundi partibus penitus ignotarum turba! Quot peregrina atque admirabili ſpecie animantia! Quot nunquam antea viſæ in aëre volantes aves, in terra gradientes & reptantes beſtiæ!

Quot in aqua natantes piſces! Quot plantæ, arbores, frutices, herbæ! Quot excellentiſſimi humanis uſibus inſervientes diverſorum gratiſſimorumque ſaporum fructus! Quæ omnia in hoc perilluſtri novi Mundi theatro nobis expoſita, ſi antiqui illi Naturæ Venatores aſpicerent, non parcioribus, medius fidius, lachrymis tot præſtantiſſimarum rerum ignorantiam, quam Abderitanus ille humanæ vitæ hiſtrioniam, ac ſortis utriuſque caſus, riſu, conteſtarentur. Quamvis autem hæc recentiorum reperta, multa, præclara, atque admodum admirabilia ſint, tantopere tamen, a veteribus cœptam ac glorioſe excultam Philoſophiam iis eſſe auctam atque locupletatam neutiquam exiſtimandum eſt, quaſi numeris omnibus jam ſaltem illa eſſet abſoluta, aut mox perficienda foret: plurima enim ſemper in obſcura abſtruſæ atque imperveſtigabilis Naturæ nocte latebunt, ex quibus aliquid promendi, atq; in aperta luce collocandi, nulli unquam præcludetur occaſio. Quo plura diſcimus, plura ſunt diſcenda, & tempus, quod nobis ſenium, rugas, canos, Scientiis Artibuſque juventam, ſplendorem, formam, adfert. Ipſe ille Regum hominumque, quos terra unquam ſuſtinuit, ſapientiſſimus Salomon, qui ſola Sapientiæ ſuæ fama vel diſſitarum quoque gentium Reginas ad ſui evocavit ſpectaculum: hic,

inquam

inquam, poſtquam omnia ſciret, quæ ab homine
mortali ſciri poſſe videbantur, atque omnium
etiam plantarum a Libani cedro ad ipſam uſque in
lapidum commiſſuris creſcentem herbam, om-
niumque quadrupedum, avium, reptilium, pi-
ſcium naturam & proprietates animo commenta-
riiſque ſuis comprehendiſſet, huic veritati illuſtre
divino afflatu teſtimonium præbiturus docet, Ho- «
minum inquiſitioni mundum a Deo fuiſſe datum, «
ut non inveniat opus, quod operatus eſt Deus ab «
initio ad finem. Abeant igitur ac longe a nobis re- «
cedant, qui humanis ingeniis terminos ponunt, &,
quaſi jam omnia in apertum eſſent producta, ple-
naque cum certitudine demonſtrata, liberam de
rebus naturalibus Philoſophandi nobis interdi-
cunt poteſtatem. Tanta præterea inter Philoſo-
phos opinionum ſemper fuit diverſitas, tanta futi-
litas, ut vel ob hanc ſolam rationem judicii Liber-
tas veritatis Amatori conſtanter ſit adhibenda, ne,
cœco atque nimium inconſiderato impetu aliena
veſtigia premens, in turpiſſimos, ac viro vere Phi-
loſopho indignos, incidat errores. Veriſſimum ju-
rares, quod vetus ſcriptor memoriæ prodidit, nihil
ab ullo unquam ægro fuiſſe inter ſomnia cogita-
tum, quod non aliquis ex Philoſophantium grege
crederet, aut doceret. Deum alii eſſe nullum; alii

ignem, alii aſtra, alii aliud quid ſomniabant. Mundum, ordinatiſſimam hanc tot præſtantiſſimarum rerum compaginem, fortuito inſenſibilium corpuſculorum concurſu atque concilio fuiſſe productum, Naturaque neſciente, quid faciat, ferri, quidam (o ſtultitia!) ſtatuebant. Nonnulli animæ eundem, qui corporis, eſſe ortum & finem, pauci ſupereſſe corpori, cenſebant, & hi conjecturis nitebantur. Erant, (o judicii perverſitas!) qui Jus Naturale agnoſcerent nullum, vireſque ſuæ eloquentiæ intenderent, quo Naturam iniquo juſtum ſecernere haud poſſe aliis perſuaderent: Carneades, ſcilicet, & Ariſtippus. Sed quid ego horum inertium & minutorum Philoſophorum errores enumero? Ipſe ille in medium prodeat, qui Philoſophorum princeps, unica aquila, & divinus quidam Naturæ habetur promus condus, quique hoc apud pleroſque conſecutus eſt, ut nomen ejus, non hominis, ſed Philoſophiæ, habeatur nomen. Ariſtotelem me loqui intelligitis, qui tot jam ſeculis principatum in ſcholis obtinuit, cujus incomparabilis doctrina, pertinax ſtudium, immenſi ac feliciſſimi labores, non patiuntur ſe cum exceptione laudari. Tantane igitur hujus excellentiſſimi Viri fuit felicitas, ut nullæ unquam clariſſimæ ejus menti errorum tenebræ, aut nebulæ, obrepſerint, adeo ut ei ſaltem tuto

liceat ſeſe addicere, ac ejus placita pro quibuſdam veluti Minervæ habere calculis? Sed nec hoc ut aſſeramus, veri, quo unice ducimur, ſinit amor. Fuit quidem Ariſtoteles vir ſummus, cujus in humanis Artibus ingenium, induſtriam, diligentiam, judicium, nos admirari & ſuſpicere ſummopere decet, at homo tamen, a quo nihil humani fuit alienum, cui & ipſi accidit, ut aliquando dormitaret, atque a veritatis tramite longe avius periculoſe vagaretur. Hic cenſuit mundum eſſe æternum: Dei « providentia inferiora non regi: Deum eſſe agens « neceſſarium, ita ab æterno primæ ſphæræ affixum, « ut ne lapidem quidem apud nos movere poſſit: re- « ligionem eſſe artem regnandi: inferos ſuperoſque « fabulas eſſe legiſlatorum: poſt mortem nec præ- « mium eſſe, nec pœnas, nec ſenſum homini rema- « nere, ſed felicitatem & infelicitatem cum morte « finiri: ſub orbe Lunæ igneam eſſe ſphæram: cœlum « generationis & corruptionis eſſe expers: cometas « ex terrenis exhalationibus gigni, & ſexcenta id ge- « nus alia a ſacrorum oraculorum indubitabili veritate, ſenſu & ſana ratione prorſus abhorrentia. Quæ quidem haud ideo commemorantur a me, ut quis male de Ariſtotelis ingenio & doctrina propter lapſus aliquot ſentiat, cum labi ſit proprium mortalitatis noſtræ, nec quo autor cuiquã ſim, ut tantæ

magni-

magnitudini inventorum, tantæ utilitati ac beneficio Artium ac Diſciplinarum omnium, ſine quibus ad hanc rerum cognitionem nunquam perveniſſemus, ſit ingratus, propter aliqua minus accurate, ut puto, ab illo expenſa, aut forte a nobiſmet ipſis: ſed ne incauti ac improvidi, lymphantem in Ariſtotelis laudes audientes Averröem, cum illo cre-
,, damus, in Ariſtotelis ſcriptis a mille & quingentis
,, annis nullum inventum eſſe errorem: illum eſſe re-
,, gulam & exemplar, quod Natura invenit ad de-
,, monſtrandam ultimam perfectionem humanam:
,, ejus doctrinam eſſe ſummam veritatem, quia ejus
,, intellectus ſit finis humani intellectus nobis datus,
,, ut ſciremus, quicquid ſciri poteſt. Atque ita placita ejus examinandi libera nos privantes poteſtate, illud αὐτὸς ἔφα, quod de ſolo veritatis autore Deo, ſanctiſque ejus oraculis uſurpari licet, de mortali uſurpemus homine, qui labi potuit, & (ut modo vidimus) in rebus maximi ſane momenti non ſemel lapſus eſt. Obliti interea ſanctiſſimi illius, omnibus Sapientiæ ſtudioſis divini Spiritus juſſu
,, ſemper & ubique obſervandi, præcepti, ut omnia
,, probemus, &, quæ bona ſunt, retineamus. Quid ego nunc dicam de tot ac tantis malis, quibus Libertati noſtræ oppoſita ſervitus ſemper & ubique Sapientiæ ſtudia tantopere afflixit & tantum non

oppreſſit?

oppreſſit? Et primum quidem omnium, quid cauſæ afferemus, Auditores, cur poſt revocata ex ignorantiæ tenebris bonarum Artium ſtudia, quibus barbaries nihil præter nomen reliqui fecerat, plures eoſque eminentiſſimos Theologos, qui cum veteribus Eccleſiæ doctoribus in certamen de præſtantia veniant, noſtra, patrumque noſtrorum, viderit ætas? Cur eximios Juriſconſultos, qui cum Scævolis, Labeonibus, Africanis, & Papinianis jure conferantur? Cur iſti generis humani conſervatrici Medicinæ ſui quoque non defuerint præſtantiſſimi cultores, qui veterum Aſclepiadarum gloriam æquent? cur denique & tales complures exſtiterint, qui in communium literarum & totius antiquitatis ſtudiis uſque ad miraculum docti cum antiquis Varronibus numerentur? In Philoſophiæ vero ſtudiis quamvis tot ingeniis, totque temporibus, ſummaque cura & labore excultis, adeo veteribus illis Scientiarum Conſultis aſſimilandi pauci fuerint, ut omnium illorum nomina, quod de bonis Imperatoribus Auguſtum olim dixiſſe referunt, unius annuli palæ inſculpi poſſint, ac proinde veriſſime poſſis Satyrici poëtæ illud παρῳδεῖν,

Rari Philoſophi, numerus vix eſt totidem, quot
Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili.

Ubi omnia diligenter luſtraverimus ac animo at-

D tente

tente perpenderimus, hanc tandem eminentium Philoſophorum raritatem ſoli, quam hactenus oppugnavimus, Servituti acceptam eſſe referendam comperiemus: poſtquam enim homines pro dulciſſimo habuerunt, alienis omnia intueri oculis, aliena fide omnia credere, nihil libero examinare judicio, nihil ſcrutari, ſed præcedentium placitis ediſcendis totam ſuam ætatem ſerviliter impendere, tanta ſocordia atque inertia illorum animos invaſit, & tantopere vivida ingenii acies in iis elanguit, ut lampada, quam veterum improbus labor, ac eximia induſtria, illis accenderat, miſere exſtinxerint. Unde factum, ut non tantum eos non prævertere, ac Scientiarum Artiumque ſtatum ulterius non perficere, ſed nullo modo eos æquare quoque potuerint: quemadmodum enim ſcaturientes aquæ ſeſe fontibus ſuis altius non attollunt, ita etiam nemo altius illo ire poteſt, cujus veſtigia tantum ſequi ſibi propoſitum habet, verum adinſtar hederæ potius, ubi ad cacumen pervenit, verſus ima relabitur. Quæ porro tot diverſarum, ac ſibi invicem adverſantium, Sectarum, quibus Artium Virtutumque parentem & magiſtram Philoſophiam, velut a Bacchis Pentheum, diſcerptam ita fœde videmus, nobis aſſignabitur cauſa? ſane nulla alia, quam Servitus. Quæ iſta amara ac venenata

nata dicenda eſt radix, unde tot tetri pullularunt ſtolones, quibus hodie Academiæ & Scholæ, veluti quodam furiarum genere, inquietantur, tot rixæ, contentiones, &, quemadmodum a Paulo Apoſtolo ſcribitur, invidiæ, convicia, ſuſpiciones ſiniſtræ, conflictationes hominum mente corruptorum? Servitus: ex hoc impuro fonte ſcaturiunt tot ingentium odiorum rivi, quæ non, niſi cum vita, deponi poſſunt; adeo ut citius reges in gratiam poſt mutuas ingentes clades redeant, quam ipſi moderati Philoſophi poſt ſimultates pro opinionum ſuarum defenſione ſuſceptas. Quot contra ex Libertate Sapientiæ ſtudia percipiunt commoda! huic tanquam fundamento ſunt ſuperædificata, huic ortum, huic incrementum, robur & ſplendorem debent, & quicquid ad perfectionem in poſterum illis accedet, ſoli debebitur: hæc non eſt rixoſa, ſed placida & compoſita, ac omnia ſuo æſtimans pretio, indiſcriminatim undequaque grata manu verum accipit: hæc vaniſſimum barbararum, atque ſine ulla neceſſitate excogitatarum, vocum ſtrepitum, cavillas, & irriti acuminis ludicra, quibus tot per annos divina Philoſophiæ facies tam turpiter conſpurcata fuit, contemnit atque averſatur, nec unquam ad diſputationes accedit, niſi ut iis, tanquam amicis ingeniorum colliſionibus, ve-

ritatis eliciantur ſcintillæ:hac omnes duce & comite uſi fuere, qui unquam, cum inter veteres, tum inter recentiores, ad aliquam in Sapientiæ ſtudiis pervenere famam. Nihil hic attinet Pythagoram, Democritum, Socratem, Platonem, Ciceronem, alioſve Sapientiæ excellentiſſimos inter veteres Antiſtites, ad teſtimonium citare,quos omnes conſtat Liberrime fuiſſe Philoſophatos,cum in mortalium nemine major reperta fuerit Philoſophandi Libertas, quam in doctore & duce noſtro Ariſtotele:qui non tantum cæterorum veterum omnium placita libero perpendit judicio, ac, prout rationi ſibi congruentia, vel contraria, videbantur, approbandi, aut etiam reprobandi, liberam ſibi permiſit poteſtatem, ſed ſummam quoque Libertatem veri ſtudio in ipſum ſuum magiſtrum Platonem, quem Sapiendi totius Græciæ principem, ac Philoſophorum Homerum, omnis confeſſa eſt ætas,ſibi indulſit. Ne jam ſilentio prætercam divinum illud, ac tanto heröe digniſſimum ſane, præceptum, quod omnium Sapientiæ Studioſorum animis indelebilibus characteribus ſemper velim inſculptum: Anti-
» quiorem ſanctioremque ipſis amicis nobis debere
» eſſe veritatem, ac Philoſophi eſſe, ut, ejus tuendæ
» cauſa, vel propria (nedum aliena) evertat dogmata.
Idem animus, eadem in veritatis indagine veterum

Chriſtia-

Chriſtianorum fuit ratio, qui nulli Philoſophorum Sectæ ſe mancipabant, non, quod eis aſſentirentur, qui nihil percipi poſſe affirmabant, quo nihil ineptius, nihil ſtultius cogitari, vel dici, poteſt, ſed quod nullam eſſe Sectam exiſtimarent, quæ omne verum vidiſſet, & nullam tam deviam & inanem, quæ non aliquid ex vero. Itaque veritatem ſparſam per ſingulos, per Sectaſque diffuſam, colligere in unum, ac redigere in corpus, veram ac germanam Philoſophandi judicabant rationem: hæc illa eſt ſingularis Philoſophia, judice quoque doctiſſimo inter veteris Eccleſiæ Doctores Clemente Alexandrino omnium præſtantiſſima, quæ ἐκλεκτικὴ dicta eſt, quod in perluſtrandis atque libere examinandis præcedentium Philoſophorum dogmatibus ea tantum ſua eſſe volebat, quæ Naturæ veritati & legibus examuſſim convenire evidenter ac diſtincte percipiebat, quaque primus omnium inter veteres uſus Alexandrinus a Laërtio perhibetur Potamon. Quod ſi omnino lubet eſſe partiarium, atque alicujus nomen ferre, hæc unica Secta eſt, in quam, me judice, tuto nomen demus: qui enim varia & varios adit, cum induſtria legit, cum judicio ſeligit, næ ille factionis expers, cujus generoſus animus omnes ſemper cauſas procul habet, ipſam ad veri penetralia ingreſſus viam, ejus

tandem facile reddetur conſors. Longius in tam patenti mari mea excurreret oratio, niſi brevitas, quam, etſi res non poſtulat, Veſtra tamen, Auditores, qua tam benigne me hactenus audiviſtis, cujuſque propterea inprimis mihi habenda eſt ratio, patientia flagitat, ut orationis contraham vela, portumque, in quem mox deferatur, proſpectem, admonet. Duo tantum, antequam finiam, hic monere neceſſe habeo: alterum, ne ſub falſa Libertatis ſpecie effrænem illorum amplexemur licentiam, quos ita novitatis infatuavit ſtudium, ut ei ſoli obſtinate & prorſus ſerviliter adhæreſcentes Ariſtotelem, Platonem, alioſque veteres Sapientiæ Conſultos, quibus tot per annos orbis eruditus aſſurrexit, quo nomini ſuo diſciplinam conſtituant, omnino perditos cupiant: quoſque jam perdidiſſent, niſi illos ſemper conſervaret majeſtas nominis, & reverentia vetuſtatis: quod quanta cum ingratitudine, ac Scientiarum damno, fiat, illi ſciunt, qui mecum compertum habent, partem eorum, quæ ſcimus, longe maximam veterum laboribus acceptam eſſe referendam. Libere Philoſophari non eſt optime de Sapientiæ ſtudiis meritos deſpicatui habere. Nec eo certe tendere noſtra debet Libertas, ut, quæ recte ab antiquis conſtituta fuere, noſtro ex arbitrio, demoliantur, ſed potius, ut clariſſimis

mis monumentis teſtatæ atque conſignatæ Antiquitati, illibata ſua conſtet autoritas, atque imminutus maneat honor, ac pari ſtudio feramur ad excolenda vetera & nova aſſequenda. Alterum, quod monitum velim, eſt, in Libertatis Philoſophandi uſu aliam eſſe rationem juventutis & incipientium, aliam illorum, quos jam in viros Philoſophia tranſcripſit: illos imitari liberale & laudabile, hos ſervile ac turpe: illis opus eſt certo doctore, ac certa diſciplina, cui innutriantur, ut aliquid, quod fideliter in animo ſedeat, judiciique vires ſenſim confirmet, trahant. Et quem potius illis aſſignabimus, quam Ariſtotelem, qui jam a nongentis fere annis in Scholis regnavit, cujus Philoſophia adjutæ atque excultæ ſuperiores Academiarum Diſciplinæ, & in hoc Lyceo, & in aliis per totam Europam, ſemper floruere? Poſtquam autem juventus Ariſtotelis doctrina animum habuerit exercitatum, atque ejus ope judicii acquiſiverit maturitatem, ad omnia Sectarum placita examinanda, ac potiſſimum ad ipſius Naturæ contemplanda arcana, tuto emancipari poteſt, ut ita pro virili ſua parte, cum omnibus Libere Philoſophantibus, tanquam bonus pater familiæ, manibus pedibuſque obnixè id agat, quo a majoribus accepta Sapientiæ hæreditas ſemper ad poſteros major tranſeat: qui præcipuus finis ac

ſcopus

ſcopus eſt, ad quem omnis Philoſophandi Libertas collineare debet. Reliquum jam eſt, ut me ad Vos convertam, Nobiliſſimi & Ampliſſimi Inclytæ hujus Academiæ Curatores, & Spectatiſſimi Honoratiſſimique Reipublicæ Lugdunenſis Proceres, ac Vobis, quas poſſum maximas animo concipere & verbis exprimere, gratias agam, quod me Celeberrimi Veſtri Lycei membrum eſſe, & Muneris mihi a Vobis demandati Auſpicia honorifica Veſtra præſentia hodie condecorare volueritis. Nulla unquam dies ingens Veſtrum ex animo meo delebit beneficium, & quamvis grates pro illo dignas Vobis perſolvere non opis ſit meæ, id tamen, meis aſpirante conatibus Supremo Numine, ſemper & ubique operam obnixe dabo, ne ejus in me collati Vos unquam pœnitere poſſit. Veſter mihi modo ſtudiiſque meis favor & patrocinium ita adſit, ut inter candidos, qui mihi illuxere, vitæ dies illum ſemper numerare jure poſſim, quo honorificæ Veſtræ Vocationi morem gerere, atque relicto Athenæo Auriaco, in quo Celſiſſimorum Principum ſingulari pariter gratia & ſumma munificentia feliciter vixi, de Academia & Juventute Veſtra pro virium mearum modulo bene mereri animum induxi meum: quod ſi mihi contingat, votis ſane, donec vivam, uſque ad invidiam felicibus mihi frui videbor.

bor. Ad Vos quoque me confero, Celeberrimi atque Excellentiſſimi Viri, quorum perennatura ubique fama ac præſtanti labore hoc Splendidiſſimum Bonæ Mentis Domicilium indies majora capit incrementa, ut quam maximo quoque beneficio me vobis obligatum confitear, quod hoc meum Auſpicale Præloquium tanta cum patientia & benignitate audire dignati ſitis: pro primo iſto Veſtri erga me affectus teſtimonio, aliiſque, quæ ego mihi, Ordini Veſtro jam inſerto, ex hoc in poſterum à Vobis promitto, omnia gratitudinis officia, omnia ſtudia, Vobis ſemper conſtabunt, nunquam lætior futurus, quam ubi Veſtri demerendi conceſſa mihi fuerit poteſtas. Quin etiam Vobis me immane quantum obſtrictum ſentio, Eccleſiaſtæ Reverendi, Doctores Clariſſimi, Viri, quotquot adeſtis Nobilitate & Eruditione Præſtantiſſimi, quod animis linguiſq; adeo faventibus orationem meam excipere volueritis: hanc ſingularem Veſtram humanitatē omni tempore ac loco in memoria habebo, dignamq; Vobis gratiam referā ubi tempus & vires meæ illud tulerint. Neque tu mihi ex hoc loco inſalutata hinc abibis Generoſiſſimorum Lectiſſimorumque Juvenum Corona. Nihil prolixius magno Vobis de me ſpondebo hiatu, ne mihi accidat, quod multis uſuvenire ſolet, qui

maleinita ſubductaque facultatum ſuarum ratione, cum vix mediocria præſtare poſſunt, ingentia facile pollicentur. Quod tamen poſſum in hoc Ampliſſimo Doctiſſimorum Virorum Conſeſſu, tanquam conceptiſſimis verbis polliceor, me in promovendis omnium eorum ſtudiis, qui ex vobis auſpiciis ductuque meis Sapientiæ ſtudia excolere volent, quanta maxime potero ſedulitate laboraturum, curaturumque, ut, quod alii doctrinæ magnitudine, ingeniorum felici ubertate, nominis ſui fama, faciunt, id ego labore, diligentia, aſſiduitate, cura, ſtudio, efficiam: quod ſi vobis perſuaſero, hinc ita diſcedam, ut me ampliſſimum primæ hujus meæ in hoc Lyceo fœturæ fructum glorier eſſe conſecutum. Nunc te Pater Omnipotens, qui ab alio nullo es genitus, teque Æterni Patris Opt. Max. Æterne Fili, Immenſo Patri rebus omnibus prorſus æqualis, teque Sanctiſſime Spiritus, qui ab utroque in omni æternitate manas, neutro poteſtate, majeſtate, aut alia ulla re, inferior, beata & ab humanis cogitationibus longe ſejuncta atque ſemota Trinitas, Une Deus, unde omnis bona, ceu ex unico perennique ſuo fonte, ad nos deſcendit donatio, omnis Sapientia, omnis bona diſciplina & inſtitutio, ſupplex ac rite te veneror, ut ad eam, quam me hic nanciſci voluiſti, digne

ornan-

ornandam Spartam eas concedas animi corporiſque vires, quas ad hujus, divina tua gratia ſemper florentis, Academiæ ſplendorem, Eccleſiæque tuæ ædificationem, neceſſarias, atque ad prædicandam tandem ſempiternam Divinæ tuæ Majeſtatis gloriam utiles eſſe, cognoſcis.

DIXI.

JANI VLITII J.C.

ODE προπεμπτικὴ,

Ad CL. V.

HENRICUM BORNIUM,

L. A.M. & Philoſophiæ Profeſſorem, cum relicto Athenæo Bredano, Philoſophicam Profeſſionem in Lugdunenſi Acad. ſolenniter auſpicaretur.

Breda, Naſſoi pia cura Martis,
Quamque Hyantæis nova regna divis
Diximus nuper Claria revincti
Tempora lauru;

At tuus jam nunc ubi, ubi ille reſtat
Clarus Eois Libyciſque terris
Splendor, & nitentis in aſtra præcox
Fama Lycei?

Occidit plenus FREDERICUS *ævi;*
Occidit primis GULIELMUS *annis,*
Patriæ ſperata ſalus modo, at nunc
Flebile nomen.

Ilicet, raptis Ducibus, profundo
Aream belli Veneris maritus
Intulit, magnis meditatus umbris
Solvere juſta.

Pallas

Pallas inverſam quatiens Meduſam,
Et faces poſt terga rotans ſupinas,
Funus Heroum comitata terras
Mœſta reliquit.

Nec ſequi Divam placido moraris,
Integer morum, pede, Broſterhuſi;
Tuque ſupremum regimen Minervæ
Docte Philemon..

Cæteras quid jam cumulare clades?
Quid juvat ſero ſapuiſſe Troas
Hectore amiſſo? Sophiæ ille veræ
Nobile lumen,

Vna collapſis mora ſpeſque rebus,
BORNIVS, *ſcenæ ſatur otioſæ,*
Iam lares vertit, vitreoque Rhenum
Prætulit Adæ.

Hoccine, ô Borni, fuit? hoccine illud,
Vltimum cladis viduæ quod addi
Reſtitit Bredæ? ſilüaſque & urbem
Linquis amatas?

Hei mihi! quid jam vacuo Lyceo?
Quid putes mutæ fieri cathedræ?
Iamque feralis Sophiæ dicata
Atria circum

Horror obſedit: parieſque & ipſe
Fidus auditor tuus, ut profectum
Senſit, ubertim maduiſſe fletu
Fertur amaro.

Vidimus ſumma trepidare ripa
Vortices Marcæ; lacrimaſque multo
Imbre creſcentes ſibi miſcuiſſe
Vidimus Adam.

Pinea Nymphas ululaſſe ſilva,
Fœderis noſtri memores, & hujus
Carminis teſtes, tibi quod vovebam,
Credere fas eſt.

At mihi ſi quid faciles Camœnæ
In tuas olim peperere laudes,
Ne queri hoc ſaltem, te abeunte, poſſim,
Cuncta negarunt.

Nam quid hæc ſurdis rapienda ventis,
Vela qui longe tua propulére,
Fundo nequiquam? Batavum momordit
Ancora littus.

Soſpitem jam te Zephyri tulerunt,
Qua caput ponto vetitum reclinat
Rhenus, & flexi mediam inſtar arcus
Circinat urbem.

Heic

Heic ubi notum veteremque civem
Pallas excepit, Sophiæque in æde
Entheo circumradians honore
Rite ſacravit.

Fallor? an lætam video juventam
Ad novi Myſtæ properare dextram?
Fallor? an crebros reſonare tectis
Audio plauſus?

Inſtat exultim numeroſa pubes;
Certat & plenis pluteis doceri.
Et Batavorum ſtupuit loquentem
Purpura Patrum.

Euge! ſic veri dubiam Stagiram
Aſſere, & ſeræ vigiles lucernas
Dedica famæ, ratione certa
Singula firmans.

Euge! ſic dia Sapientiæ arte
Imbue attentas dociles que mentes;
Quam ſecuturis meliore ſæclis
Fonte nepotes

Hauriant. Sic, ſic, Sophia magiſtra
Itur in cœlum; & penitus recluſa
Senſibus Natura patet, ſtupore
Libera ab omni.

FINIS.

FINE

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

1972